



**Phosphorvs sive Ioannes Baptista nativitas, vita, mors**

**Cabilliau, Baudouin**

**Lovany, 1642**

Epigramma 15. Ioannis caput iacet in patina. Ipsa pietas queritur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70001](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70001)



Scilicet hoc nasci felici est sidere Regem,  
 Si iubar extinguat, quo foret orta dies.

*Epigramma 14.*

Quæstio.

De Morte Ioannis natali in festo.

**C**ur vitæ lux iussa mori est Herodis in ortu?  
 Qui iubet Herodes, mors reor ipse fuit.

AD HERODEM

**O**vo minus apta loqui est trunco Vox cædua collo,  
 Hoc magis ultra nefas arguit illa tuum.  
 Ipsa loqui lacrymis si vita sit apta dolorem:  
 Mors ipso loquitur sanguine triste scelus.

*Epigramma 15.*

Ioannis caput iacet in patina. Ipsa  
 pietas queritur.

**E**rgo lupæ castum vatis caput immolat ensis,  
 Sanguineoque aperit tramite vocis iter?  
 Iam tacet & surdo truncum caput incubat auro,  
 Auro, quod violat purpura dira cruor?  
 Quæ Vocem iugulat, mihi cor secat illa securis;  
 Exsecat & linguam sica scelestam meam.

*Epigram. 16.*

Palinodia.

**V**ixit adhuc, vivit, Vox narrat & orba furorē,  
 Ferrea sic truncum iam sibi lingua caput,  
 Vita tenax animæ dirupit vincula ferro,  
 Exsul & in ventos Vox levis aura fugit,  
 Exsoluitque fidem, quam debuit, obuia Verbo,  
 Ne magis hanc soluat, mors inopinā rapit;  
 Ah! pietas cum voce pari cadet ergo securi;  
 Immemor ut tantum supprimat umbra iubar;  
 Parce queri, nec triste necis scelus argue; Verbum  
 Docta perenne loqui Vox nequit ista mori.

*Epigram. 17.*